

FERDINANDI CONSALVI DE

CORTUBA: FERDINANDI HISPANIARUM REGIS,

in bello Neapolitano, summi Præfecti:

Cusus Anno Christi 1503.



FERDINANDUS CONSALVUS, ob res præclare gestas, Mganus cognominatus, in bello eo, quod inter Ferdinandum Catholicum, & Ludovicum Galliarum Regem conflictum gestumq; fuit, ad Cannas & Lyrim, memorabili pugna ingentem Gallorum exercitum profligavit: obtinuit victoriâ, vel ob id celebriorem: quod eam tam nobilis, tamq;

opulenti regni integra amissio, & Hispani imperij firmamentum secutum fuit: magis autem, quod cum Galli hostibus potentiâ longè superiores, & omnibus terris tribus maritimisq; ad bellum necessariis apparatibus instructi, regnum invasissent, tam facile, & sine hostis sanguine ac periculo sunt debellati: quamvis etiam pauci hostili manu perierint, è tanto tamen exercitu, variis casibus, paucissimi evaserunt. Expeditibus enim qui fugâ elapsi se conservarunt & ex iis qui deditioe factâ, terrestri itinere Caietâ discesserunt, pars frigoribus & morbis consumpta est: & qui vivi Romam pervenerunt, pleriq; nudi ac miseres, pars in publicis pauperum hospitiiis: pars noctu frigore, & fame in plateis & viis perierunt. Hujus autem rei, sive fata Gallis adversa, nec minùs nobilitati, quàm plebi contraria, sive morbi ex incommodis ad Garilianum passis contracti, causam præbuerint, pleriq; eorum qui deditioe factâ navibus Caietâ, ubi maximam equorum partem reliquerunt, discesserant, vel in itinere, vel quam primum in Galliam pervenisissent interierunt: inter quos Salutarum Marchio, Sandricartius, & Montis præfectus, multique alij magnæ nobilitatis viri cladis ad Garilianum acceptæ, totq; Calamitarum, quæ post secutæ sunt nuncij, ob eorum, qui perierant multitudinem, & præcipuè tot nobilium virorum jacturam totum Gallie regnum lachrymis & planctibus repleverunt. Consalvo vicissim alludere in symbolo suo ad exempla Augusti & Titi Imp. placuit: quorum ille oppresso Antonio Janum clausit: hic eversâ Hierosolymâ & bellis, Syria totâ, composuit. *Fr. Guicciard. Author.*